



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In  
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Reg. LIX. de Temporibus Indulgentiarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

glof. & quod ibi dicunt DD. circa hoc, scilicet quam idem facit talis littera faciens mentionem alterius privilegij &c. : & an debet ostendi primum privilegium in dicto cap. contra morem & in cap. ut veterum 9. distinctio. & in cap. Abbate de verb. signif.

Et ista Regula non est danda : quia concernit expeditionem litterarum, & non annullat. Ex ista Regula qua loquitur de Indulgentijs, videtur esse contrarium in alijs privilegjs a contrario sensu, ut dicunt iura vulgaria. & facit ad hanc Regulam text. cum glof. in fine capiti primi de fide instrument. & quod dicit Bald. in capitu. primo de feudo guardia in l. col. o. qui allegat glof. in dicto capite de fide instrument. In prerogativis ad instar satis est quod fit mentio in genere per predicta, & sic fit hodie : tamen si revocentur principalia privilegia, an censeatur revocatum ad instar dixi in Reg. x. & dixi quod sic, contra Bald. in l. Privilegia C. de Sacros. Eccles.

## COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

**A** *Ista Regula* ) Vide ad hanc Reg. qua scribit D. Navar. in tract. de Jubilæo & indulgen Notab 16 nu. 4.

**B** *Nisi specificentur* ) Extra casum hujus Regulæ, & Regulæ XLV. & XXXVI. supra, valet semper signatura habens aliquid pro expresso, etiamsi non specificetur, litteræ que desuper factæ ad instar valebunt per not : Baldi in leg. Si privilegia Codicæ. de Episcopis. & cleric. citati à Filij in cap. Nonnulli numero 7. de Rescript.

## Argumenta in Reg. lxx.

INNOCENTII, VIII.

**1.** Episcopi in dedicatione Ecclesiarum | 2. Indulgentiæ quid operentur, & nu. 4. solent dare 4. dies indulgentiarum. | 3. Hæc Regula non est danda.

Regu-

## Regula lix. Innocentij VIII.

## DE TEMPORIBVS INDVLGENTIARVM.

**I**tem voluit quod per *Fiat*, si Ecclesia Cathedralis vel insignis collegiata aut solenne monasterium fuerit, tres, alioqui duo anni, & totidem quadragenæ: & per *Fiat ut petitur*, Cathedrali, Collegiata, vel monasterio quatuor, aliis tres anni dentur: pro singulis vero diebus octavarum 100 dies apponantur: & pro capella per *Fiat*, unus: & per *Fiat ut petitur*, duo anni conceduntur.

## GLOSSEMA ALPHONSI

**I**sta Regula dicit quod si peratur indulgentia à Papa & ipse signet fiat, quod si sit Ecclesia Cathedralis, vel insignis collegiata, aut solenne monasterium, tunc Cancellaria debet dare tres annos, & totidem quadragenas: sed si non fuerit talis Ecclesia, debet dare duos annos, & totidem quadragenas; si autem signet hoc modo, scilicet fiat ut petitur tunc Cathedrali, vel collegiata, aut solenni monasterio, debent dari quatuor anni, alij verò tres: & pro capella per fiat unus annus & per fiat ut petitur duo anni, & pro quolibet die octavarum debent dari centum dies h. d. & clara est regula.

**A** Sed illud quod dicitur hic de quadragenis debet intelligi id est de xl. dieb. pro quolibet quadragesima, & hoc habuit ortum à c. cum eo. de pen. & re. ubi conceditur Episcopo quod possit dare quadragesima dies in dedicatione Ecclesie, & ideo Papa qui habet plenitudinem potestatis, in hoc concedit annum, vel duos, & totidem quadragenas, ut videtur differre ab Ordinarijs.

Et in quantum iste tex. dicit in secundo responso de monasterio, debet intelligi de solemnibus ut superius dicitur; quia omnia reguntur ab illo verbo dentur: ergo pariter debent intelligi iuxta doctrinam Bart. in l. prætor. ait § eritque differentia ff. vi bono rapt. & illud quod dicitur de centum diebus, intelligo quo ad omnia hic comprehensa, etiam de capellis, per e. inquisitioni de ap. cum similibus.

Et quid operentur iste indulgentia, & quomodo debent concedi, & per quem, & de multiplici materia ipsarum non est meum hic ponere, satis posui in materia sublimi quam direxi felicis recordationis D. Sixto, Camera tamen credo quod non servaret hæc, nisi daretur in duplum, Cancellaria tamen bene servat. Et non est danda ista regula quia concedit expeditionem, & non habet decretum irritans.

COM.

## COMMENTARIA. JO. A CHOKIER.

A **D**E quadragesis ) Consule Navarrum tract. de Jubilæo & indulg. fusè hæc & dilucidè tractantem, hæc enim non attinent ad praxim beneficiariam, quò modo collineamus.

B: *Quid operentur Indulgentia* ) Vide Felij in tract. sive sermo. de Indulgentia plenaria Navar. Tolet. & novissimè D. Iq. Franciscum Leonis Episcopum Tclesinum in suo tract. fori Ecclesiast. par. 1. c. 7 per tot. 4

## Argumenta in Regul. Ix. INNOCENTII VIII.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Q Valis fuit petitiõ talis debet esse refponõ.               | 4. Hæc Regula non est de dandis.  |
| 2. Intellectus clausulæ ultra lx. in portatõ.                   | 5. Incongruum esset computare valorem beneficij secundum varietatem regionum & cambiorum. |
| 3. Valor beneficij non computatur in residendo sed in absentia. | 6. Anniversaria an compulentur in valore beneficij.                                       |

## Regula Ix. INNOCENTII VIII.

## DE BENEFICIIS VACANTIBVS ET CERTO MODO VACATVRIS.

I<sup>tem</sup> voluit & ordinavit, quod in gratis beneficalibus de vacantibus, aut certo modo vacaturis, factis quibuslibet, si plura petentur beneficia, unum cuiuscumque valoris annui per simplicem signaturam, & addita ut petitur duo aut tria & non ultra, petita beneficia veniant, dummodo illorum fructus &c. ultra lx. in portatis, vel etiam librarum Turonen parvorum communi æstimatione, sive tantundem in illa moneta non valeant annuatim.